firmatum est· ut mensis xxx diebus putaretur· cum hoc nec solis nec lunae
cursui conueniat; siquidem lunam xii· horis minus s(ecundum) alia ratione saltus·
solem uero x horis et dimidia plus habere qui sollertius exquisiere
testantur; Porro natura duce repertum est solis annum· ccc
LXV· diebus· et quadrante confici· Lunae uero annum si communis sit
cccLIIII· si embolismus· cccLXXXIIII· diebus terminari· totumq· lunae
cursum decennouenali circulo conprehendi· sed et errantia sidera suis
quaeq· spatiis zodiaco circumferri· quae natura non iuxta aethnico
rum dementiam dea creatrix una de pluribus· sed ab uno uero d(e)o creata est·
Quando sideribus caelo inditis praecepit· ut sint insigna et tempora
et dies· et annos·

III

## DE MINUTISSIMIS HORARUM SPATIIS

HORA XII· PARS DIEI EST· SIQUIDEM XII HORAE
diem complent· d(omi)no attestante qui ait; Nonne duodecim horae
sunt diei; si quis ambulauerit in die non offendet; ubi quamuis alle
goricae sedem· discipulos uero qui a se inlustrandi fuerant horas
appellauerit· solito tamen humanae computationis ordine numerum
definiuit horarum; uerum notandum est quasi omnes anni dies duo
denis horis putentur· aestiuos necesse est dies longioribus· brumales
uero breuioribus horis includi; si uero omnes horas aequiperare
hoc est aequinoctiales habere uolumus· brumali diei nihilominus
pauciores et aestiuo necesse est plures tribuamus· Recipit autem
hora· quattuor punctos· x minuta· xv partes· xl momenta·

Q I

UNIVERSITÄTSBIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
HESSEN
Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/bav/bav_pal_lat_1449/0076